

verant, loco impositis, quo tutum ad triremes receptum haberent, aditus omnes intercludit, copias succedere cum scalis arci imperat. Turcæ improvise impetu nequaquam territi, ad tuenda mœnia convolant. Verum cum a nostris ollæ igne fabrefacto oppletæ (quod subjecta mœnibus recta tabulatis confecta, atque palea cooperta esse cognoverant) emitterentur; arida materia ingens adeo incendium concepit, ut propugnatores fumo, flammisque correpti defensionem omittere cogerentur. Inde milites, admotis scalis, oppidum ingrediuntur, obvios quosque obtruncant. Fine cædibus Suriani jussu facto, captivos centum abducunt, locumque dirutum solo æquassent, ni ex circumjecta regione peditum atque equitum subsidia ab hoste supervenissent, quos nostri continenti glandium imbre summoventes, cum captivis incolumes ad triremes, tredecim tantum militibus, Moretoque Florentino præfecto desideratis, pervenere. Hæc in Illyrico ad exercendos potius milites, quam ut quidquam ad summam belli conferrent, agebantur.

Cum Uluzzalius ad Tænarium se recepisset, ingens Columnnam, ac Gildandradam suspicio incescit, ne, a Christianorum celoce nuper capta Austriaci adventu cognito, illum adoriturus, opportunum ad ventum excipiendum locum occupasset; atque ob eam rem mirum in modum solliciti, ejusmodi erant sententiæ, ut, centum selectis triremibus in altum elatis, Austriaco obviam iretur; naves, galeatiæ, atque aliæ triremes in Cretam mitterentur; cunctis rebus regiæ classis salutem anteferendam rati. At Fuscarenus militiæ legibus adversum censebat, tam propinquo hoste, classem distrahere, eique optionem relinquere, ut vel cum centum triremibus Zacynthum petentibus confligeret, vel in Cretam navium prædam facturum contenderet: satius esse, ibidem subsistere, Austriacumque singulis de rebus monere, vel tota classe Zacynthum obviam ire: ad Capfalium morantibus, Uluzzalium Tænario non egressurum, Austriacum si Cytheram, ut se reliquis adjungeret, devehî statuisset, nullo obsistente id futurum: Uluzzalium contra, si aggredi atque intercludere iter velit, insciis foederatis, non posse: a fronte Austriacum, a tergo classem, a latere incolas in defectionem labentes habiturum.

Hæc

*Scardonia
a Nicolao
Suriano oc-
cupata.*